



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 84. Bellum in Anglos a Galliarum Rege motum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. qua jamjam latius aciem protenderat,  
 A.C. 1458. armis subegisset.

## §. LXXXIII.

*Abdicatio Patriarchatus Constantino-  
 politani a Gennadio facta.*

*Vid. supra  
 lib. CX. §. 121*

Gennadius, qui in Patriarcham Constantino-  
 politanum electus, ac post illius  
 urbis expugnationem a Mahomete in hu-  
 jus Sedis possessionem solemniter ritu in-  
 troduktus erat, convocavit Episcopos,  
 Clericos & populi Christiani Primores,  
 iisque præsentibus se Patriarchatu abdicavit,  
 postquam annos quinque, & aliquot  
 Menses eam Ecclesiam rexisset. Hic ad  
 Monasterium S. Joannis Prodromi in Ma-  
 cædonia se contulit, invitis licet omni-  
 bus, qui Patrem suum Constantinopoli  
 retinere studebant; ipse tamen in præ-  
 fato cœnobio vitæ suæ finem quiete im-  
 ponere voluit. Suffectus illi erat Isido-  
 rus vir animi candore ac morum in-  
 tegritate præclarus, qui tamen haud diu  
 hac dignitate functus, Successorem ha-  
 buit Joasaphum, Virum veræ pacis studio-  
 sum, ac contentionis inimicum.

## §. LXXXIV.

*Bellum in Anglos a Galliarum Rege  
 motum.*

Cum Carolus VII. Galliarum Rex æger-  
 rime

rime ferret, quod Caletum & Guina An-  
 glorum imperio adhucdum parerent, ut  
 has quoque Picardiæ urbes eorum ma-  
 nibus eriperet, cum Christierno I. Daniæ  
 Rege foedus iniit, ea lege, vi cuius ille  
 Regi Franciæ adversus Anglos quadra-  
 ginta naves suppeditaret præter sex, se-  
 ptemve armatorum millia, quæ stipendiis  
 Caroli Regis alerentur. Hæc pacta, quam-  
 vis jam anno millesimo quadringentesi-  
 mo quinquagesimo sexto utrinque con-  
 clusa fuerint, successu tamen caruisse vi-  
 dentur, haud dubie ob subortas dissen-  
 sionum causas Christiernum inter & Sco-  
 tiæ Regem, qui antehac Gallis foedere jun-  
 ctus erat. Ast Rex Galliæ nihil hæc mora-  
 tus, Anglos aggreditur, ipsamet Angliæ  
 Regina haud parvum proposito calcar ad-  
 dente: Hæc enim pertæsa erat Richar-  
 di Eboracensis Ducis arrogantiam, utpo-  
 te qui summa rerum potiri, ac suppressa  
 auctoritate Lancastriensis familiæ suam  
 ad regium culmen elevare ambiebat.  
 Quare Renatum Andegavensem Patrem  
 suum omni, quo poterat, studio adegit,  
 ut ad evertenda Eboracensis Ducis con-  
 silia Galliarum Regem induceret. An-  
 nuit Rex, & Brezæus Senescallus, deman-  
 data sibi a Carolo VII. provincia fun-  
 ctus Honflorii classem instruit, & cum  
 quatuor exercitus sui millibus die vige-  
 sima Augusti anno priore portu solvit, de-  
 mum

Sæcul. XV.  
 A. C. 1458.

Sæcul. XV. A.C.1458. mum secundis ventis classem die vigesima octava Augusti ad Angliæ oram haud procul Sandwico appulit.

## §. LXXXV.

*Sandwicum in Anglia a Gallis occupatum.*

Equidem maritimæ copię exscensionem faciunt, Petrusque Lovaniensis nemine reluctante portum occupat; sed minus secundam sortem expertæ sunt, quas Brezæus in continenti exposuit; quippe mille octingenti natione Galli sub imperio Præfectorum, quos belli experientia ac fortitudo animi satis celebrabat, munimentum quoddam fossis aqua tumidis circumvallatum superant, inde Anglos depellunt, ac stricto gladio eos insecuti promiscua pugnantium contentione usque ad urbis portas mixtimum cum hoste penetrant, ubi novo utrinque furore animis subdito certamen recrudescente cæpit; Anglis tandem cedere, ac urbe exire compulsis Galli, qui sibi armis suis aditum paraverant, urbem deprædati sunt, & Ebroicensis Prætor interim vicina urbis loca suo milite cinxit, ut populares Anglorum copias turmatim in auxilium accurrentes propelleret, & eos ne urbis portas occuparent, præpediret. Jam decimam horam prælium tenuit, tanta

*Matth Couci  
Hist. Car.  
VII. p.476.*